



EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Editrix responsalis: Diana LICOPPE -avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan -1040 BRUXELLIS  
TEL:02/734 55 42

## ABHINC ANNIS TRIGINTA...



Anno 1956° in Paparum domo regia Avennionensi, a dextris sedet Praeses Iohannes Cappelletti, a sinistris Professor Iohannes Bayet ante microphonum loquitur.

## DE LATINITATIS VIVAE MOTIONIS ORTU

Medio XX° saeculo, Europae Nationes, quae usque secundum bellum mundanum in toto orbe terrarum longe praecelebant, omnes miserabiliter iacent prostratae. Aliena voluntate coactae, gentes Europaeae in duas partes scinduntur; orientales aegre patiuntur tyrannidem Stalinianam, quae crudelitate nihil cedit Hitlerianae; occidentales necessarium Americanorum auxilium

(Propositum Marshall 1947) accipiunt una cum eorum dominatione.

Quibus eventis plane demonstratur quanto detrimento Europaeis fuerint ea certamina intestina, quae ex immoderatis nationalismis orta sunt. Remedium ex ipsis mali causis facile excogitari potest, adhiberi tamen multo difficilius :

*Hic 13<sup>us</sup> MELISSAE numerus est ultimus subnotationis annuae 1985-1986. Ii, qui Melissam acceperunt et pretium huius subnotationis nondum solverunt, folium album in hoc numero invenient, quo humaniter invitantur ad hanc pecuniam mittendam ad computum mandatorum cursualium (CCP. Bruxellis), cui titulus "AMICI MELISSAE" et numerus 000-1484533-45.*

confoederentur gentes Europaeae oportet, imprimis occidentales, cum orientalibus desit facultas per se statuendi.

Non desunt homines boni qui ad hoc consilium exsequendum operam dare incipiunt.

Mense Decembri anni 1946° nascitur Parisiis "Unio Europaea Federalistarum", cuius primus conventus habetur in Helvetia anno 1947°. Eodem anno, etiam in Helvetia, conditur "Unio Parlamentalis Europaea". Anno 1948°, Parisiis, conditur "Organizatio Europaea Cooperationis Oeconomicae" et "Motio Europaea". Anno 1949°, habetur prima sessio "Coetus Consultatorii Consilii Europae". Mense Decembri eiusdem anni, "Motio Europaea" ordinat Lausonii coetum culturalem Europaeum, unde oriuntur praecipue "Centrum Europaeum Culturae", "Collegium Europaeum" Brugense et "Organizatio Europaea Indagationibus Nuclearibus" (C.E.R.N.). Ex his fundamentis paulatim crescit motio Europaea; quae anno 1957° confirmatur foedere Romano, quo "Communitas Oeconomica Europaea" sive "Mercatus Communis" instituitur.

Historico contextu medii XX<sup>i</sup> saeculi breviter adumbrato, mire constat perpauca homines communem linguam Europae confoederandae curavisse, quasi timentes ne problema nimis periculosum aggredirentur.

Anno 1952°, Iohannes CAPELLE, ingeniarius, antea Rector Universitatis Nanceiensis, tunc temporis Rector Generalis Institutionis in Africa Occidentali sub ditione Francogallica, in foliis periodicis, ~~sub~~ index "L'Education Nationale", die 23° m. Octobris editis, scriptum divulgat, cui titulus: "Le Latin ou Babel". Ibi dolet quod in rebus scientificis divulgandis linguae nimis multae adhibentur, unde fit ut saepe homines docti inter se non intellegant. In doctorum conventibus internationalibus, etiam interpretes vocabula technica satis accurate convertere non valent. Cum sibi vix fingere possit quandam linguam nationalem hodiernam ab universis doctis adhiberi posse, quaerit nonne lingua Latina iterum usurpanda sit, quae instrumentum communicationis universale doctorum fuit temporibus Medii Aevi et Litterarum Renascentium. Ad quod propositum exsequendum oportet tamen lingua Latina non doceatur velut mortua; immo eius institutio funditus renovanda est ut conveniat hominibus quam frequentissimis.

Quod scriptum multi docti cum in Europa tum in America commentati sunt atque laudaverunt; inde nonnullis opportunum visum est conventum ordinare, ubi disputaretur de utilitate linguae Latinae in mundo hodierno, et, si utilis iudicaretur, de modis, quibus redderetur viva.

Sic evenit ut a<sup>o</sup>1956<sup>o</sup>, a die 3<sup>o</sup> in diem 6<sup>um</sup> m. Septembris, haberetur Avennionense primus "VIVENTIS LINGVAE LATINAE CAUSA CONVENTUS UNIVERSUS". Participes fuerunt 171 numero, ex 22 nationibus oriundi. Multae studiorum universitates legatos miserunt. Multi quoque, qui participare non potuerunt, litteras ad moderatores miserunt, quibus sententias suas in medium proferrent. Unum afferam exemplum. Prof. Dr P.J. ENK Groningensis (in Nederlandia) inter alia Latine scripsit haec: "Expertus scio linguam Latinam hodie quoque usurpari posse in operibus doctis publicandis, in scholis academicis habendis, in epistulis scribendis, in disputando et colloquendo ... Per annos viginti quinque scholas meas in Universitate Groningana Latine habui. Primum officium Conventus Universi Avennionense habendi erit curare ut in omnibus terris, in quibus pueri Latine discunt, lingua Latina eodem modo pronuntietur."

In oratione inaugurali Francogallice habita, praeses Iohannes Capelle, inter alia, dixit haec: "Congregamur tempore quo studia Latina decrescunt, quin etiam periclitantur. Cum hodie

tantum colantur machinae, lingua Latina mox paucis specialistis reservabitur, sicut lingua Sanscritica. Conventus noster versabitur in hoc: si voluerimus, haec rerum inclinatio inverti poterit. Ad quod consequendum oportet Latinistae non maneant solum inter se neque putent linguam Latinam, ut servetur incolumis, tuendam esse a labe rerum hodiernarum. Ex contrario, amplectendo realia hodierna, se praebendo omnibus doctis et technicis, sermo Latinus fiet utilis et hoc solum modo non habebitur molestus neque ibit in oblivionem".

Conventus ordinatores quattuor themata proposuerant tranctanda:

I De Grammatica Latina

II De Pronuntiatu verborum Latinorum

III De methodis Latine docendi

IV De verbis novandis.

I. De grammatica Latina relator erat Professor Iohannes BAYET, sodalis Instituti Francogallici et tunc temporis Rector Scholae Francogallicae Romae, qui, inter multos alios, librum pernotum de litteris Latinis aetatis classicae conscripsit. Prima verba eius relationis, Francogallice factae, fuerunt: "Inceptum nostrum tam mirum est quam necessarium." Maximi momenti relationem fecit hic praestantissimus litterarum Latinarum classicarum professor, qui in Iohannis Capelle consilia se consociare non dubitaverat. Dixit inter alia: "Oportet in promptu habeamus instrumentum linguisticum simplicem et robustum, omnibus hominibus cuiuscumque aetatis quam citissime accessibile. Necessesse est lingua potius ad diluciditatem tendat quam ad elegantiam." Suasit ut epitome grammaticae classicae conficeretur, ubi tantum retinerentur structurae simpliciores, quibus uti satis est ad res hodiernas et cogitationes scientificas verbis Latinis dilucide enuntiandas.

Hic non est singillatim referendum quid in epitomen condendum proposuerit. Praesertim notandum est illum doctissimum grammaticum autumasse decem circiter paginas, praeter paradigmata, satis esse ad omnia necessaria explicanda. Talis tamen epitome nullo modo adversatur studiis Latinis amplioribus subtilioribusque quae pertinent ad litteras Latinas; tantum est primus gradus plerisque tamen usitatoribus sufficiens.

II. De pronuntiatu verborum Latinorum relator erat Doctor Ericus BURCK, Professor in universitate Kilfonensi atque Praeses consociationis Germanorum phililogorum classicorum. In exordio, Latine prolato, inter alia dixit haec: "Quibus de causis cor meum inquietum est, donec nobis contingat, ut omnes, qui adsumus, uno consilio, una mente, una ratione pronuntiationis sermone utamur Latino." Ipsam relationem Francogallice fecit. Res technicas hic praetermittam, sed facere non possum quin nonnullas sententias maximi momenti exhibeam: "Cum 'clare et distincte' maximi momenti est in philosophia cartesiana, tum necessarium est ut omnis consonans, omnis vocalis, omnis syllaba clare et distincte pronuntietur in sermone Latino ... Praeterea in mentem non habemus infimas pronuntiatas subtilitates exigere, id quod difficultates in Latine discendo inutile auget." "In verbis legendis Latinis, oportet clare distinguere vocales breves et longas. Hac in re mutatio consuetudinis necessaria est in omnibus regionibus." "Oportet infatigabiliter poscamus: 'Latine loqui, Latine loqui, iterum iterumque Latine loqui' (Latine hoc relator dixit). Necessesse est discipuli textus Latinos alta voce recitent et nonnullos memoria retineant; hac solum via percipient formam sonoram linguae Latinae, quae est maximi momenti cum antiqui auctores sua opera composuerint ad aures lectorum delectandas; omnia sequitur p. 10

# DE ORIGINE SALTATIONIS ORIENTALIS HODIERNAE

## II. Pars altera (Prima pars in numero 11 divulgata est)

Postquam vobis multas imagines Aegyptiacas, Graecas et Romanas monstravi et adumbravi, ad finem oratiunculae meae veniam. Non facile ex his imaginibus solis probari potest eas vere saltationem ventralem ostendere. Adiuvamur autem a nonnullis auctoribus Romanis qui talem saltationem descripserunt et eam apud Romanos saltatam atque amatam (et contemptam!) esse testes sunt. Primum Macrobius citare velim. Vixit circa annum 400<sup>um</sup> post Christum natum. In sat. 14, 4 sequ., libro tertio, Macrobius scribit iam inter duo bella Punica existisse ludum saltatorium, ubi filii et filiae senatorum cum crotalis saltare discebant. Hanc saltationem etiam matronas non inhonestam putavisse, Scipioni Africano Aemiliano autem impudicam et inhonestam visam esse. Videtur fuisse saltatio ventralis; sed legite Macrobius et Scipionem ipsum :

*"Ecce enim, ut ab illo ordiar tempore quod fuit optimis moribus, inter duo bella Punica, ingenui, quid dicam ingenui, filii senatorum in ludum saltatorium commeabant, et illic crotala gestantes saltare discebant. 5. Taceo quod matronae etiam saltationem non inhonestam putabant, sed inter probas quoque earum erat saltandi cura, dum modo non curiosa usque ad artis perfectionem. Quid enim ait Sallustius? 'Psallere, saltare elegantius quam necesse est probae'. Adeo et ipse Semproniam reprehendit non quod saltare, sed quod optime scierit. 6. Nobilium vero filios, et, quod dictu nefas est, filias quoque virgines inter studiosa numerasse saltandi meditationem testis est Scipio Africanus Aemilianus, qui in oratione contra legem iudiciariam Tib. Gracchi sic ait: "Docentur praestigias inhonestas; cum cinaedulis et sambuca psalterioque eunt in ludum histrionum; discunt cantare, quae maiores nostri ingenuis probro ducier voluerunt; eunt, inquam, in ludum saltatorium inter cinaedos virgines puerique ingenui. Haec cum mihi quisquam narrabat, non poteram animum inducere ea liberos suos homines nobiles docere, sed cum ductus sum in ludum saltatorium, plus medius fidius in eo ludo vidi pueris virginibusque quinquaginta, in his unum - quod me rei publicae maxime miseritum est - puerum bullatum, petitoris filium, non minorem annis duodecim, cum crotalis saltare, quam saltationem impudicus servulus honeste saltare non posset".* Alia testimonia apud auctores primi saeculi post Christum natum invenimus, apud Plinium, Statium et Iuvenalem.

Plinius (62-114 post Christum natum) in epistula quindecima libri primi, postquam amico Septicio exacte cenam simplicem (vegetariam) descripsit, quam Septicius participare potuisset, si venisset, de Scepticio dicit: *"at tu, apud nescio quem, ostrea, vulvas, echinos, Gaditanas maluisti."* (I, XV, 3). Gades, urbs in meridionali parte Hispaniae sita, iam ante bella Punica erat sub imperio Punorum, qui ipsi sunt populus orientalis et cultum suum per totam Africam septentrionalem usque ad Hispaniam expanderunt. Feminae huius urbis, Gaditanae, optime saltavisse videntur et clarissimae fuerunt etiam Plinii temporibus.

Secundum Statium (45-96 post Christum natum) Gaditanae cum cymbalis saltaverunt (Silvae I, 71): *"illic cymbala tinnulaeque Gades"*.

Quomodo hae Gaditanae saltaverint, Iuvenalis (60-140 post Christum natum) in sexta satura versibus trecentesimo



vicesimo et sequentibus dilucide describit :

*"Lenorum ancillas posita Saufeia corona  
provocat ac tollit pendentis praemia coxae.  
Ipsa Medullinae fluctum crisantis adorat."*

Iuvenalis ergo loquitur de coxis pendentibus Saufeiae et de crisante Medullina. Si Saufeia alteram coxam tollit, altera pendet. Crisare est coxas celerrime movere, ita ut coxae et femora tremant. Hi motus ambo sunt celeberrimi in saltatione orientali. Iuvenalis certe hanc saltationem nullo modo moribus Romanis, id est bonis moribus, convenire iudicat; nimis coniuncta est voluptati sexuali.

In undecima satura centesimo sexagesimo versu et sequentibus Iuvenalis cum amico de quadam cena exspectanda colloquitur :

*"Forsitan exspectes ut Gaditanae canoro  
incipiant prurire choro plausuque probatae  
ad terram tremulo descendant clune puellae."*

Amicum ergo somnare suspicatur de puellis Gaditanis, quae cantu et choro ipsarum ad voluptatem ducuntur, quae tremulo clune - id est crisantes - saltant, et crisando ad terram descendunt. Motus, quos Iuvenalis describit, etiam hodie in saltatione orientali inveniuntur, sunt quasi motus principales. Omnis bona saltatio ventralis adhuc habet partem, quae in terra saltatur, ubi saltatrix in genibus nixa est vel nitens brachio altero in latum cubat.

Saltationem ventralem iam in antiquitate existisse vidimus, etiam in Italia cognitam fuisse. Sicuti hodie, tunc temporis alii hanc saltationem amaverunt, damnaverunt alii. Nostris temporibus haec ars pulcherrime in Aegypto floret, in mundo occidentali a feminis Americanis et Theodiscis magis magisque magni aestimatur.

Mihi haec saltatio est methodus viva, ut antiquitatis vitae partem ipsa denuo vivam. Cognovi et adamavi hanc saltationem in Tunesia, ubi anno 1983° imprimis ruinas Romanas videre volueram. Exstitit ergo statim coniunctio orientis cum antiquitate Romana, tum autem nescivi Romanas ipsas tali modo saltavisse. Mihi placet saltatio orientalis plurimum, quia corpus meum femineum melius sentio, quia liberius moveor; in saltando mihi semper est felicitas profunda, gaudium in corde. Non iam mihi est pudor horum motuum sicut in initio. Nos Europaei paene non movemus ventrem et coxas. Saltatio orientalis sensus fere interdictos liberat. Puto feminas antiquas, Aegyptias et Bacchas, libero modo sensisse, corpora sua amavisse, certas de pulchritudine et dignitate corporis feminei fuisse.

Dixi

Inga PESSARA.

SECUNDA LINGUA COMMUNIS EUROPAE.

fm  
le  
lae  
Quodnam est propositum nostrum, neolatinistarum dico, hodie? Eo spectamus ut lingua Latina fiat iterum viva, praesertim tota Europâ, ut tandem exurgat secunda lingua communis Europaeorum nonnullius culturae, quae valeat ad eos fraterne coniungendos et invicem animo comprehendendos. Si sit facile intelligi invicem et invicem proponere propria cogitata et commoda et necessitates, multo facilius erit ea coherenter coniungere et temperare in communibus congressibus.

Eiusmodi autem lingua Latina (quam recte nonnulli vocant "Neolatinum") debet, mea quidem sententia, subiacere aliquibus condicionibus.

le  
le  
PRIMA CONDICIO: debet esse praedita crystallina evidentia; nisi enim appareat ilico intelligibilis, statim reicietur a viventibus saeculo vicesimo, qui a qualibet lingua, sive scripta sive orali, unum postulant, ut sit translucida perspicuitatis et subitariae intelligibilitatis.

2?  
?  
Hoc est enim maxime animadvertendum: nos omnes, conscii vel inconscii, aegrotamus bacillo Latini litterarii, bacillo "Latini aurei", quod nostras fibrillas et medullas pervasit lente et ineluctabiliter, legentes per annos miras paginas auctorum classicorum. Si quis autem, hodie, gaudeat ludere elegantis rhetoricae, si cui libeat resonare classicos Latinos, sciat se theorice velle ut lingua Latina reviviscat et fiat vinculum unitatis et communionis inter filios Europae, practice autem id prohibere.

4d  
Patet hic me loqui de neolatinistis, non ~~lucem~~ de neohumanistis, quorum opus id ipsum est, certare nempe cum classicis.

SECUNDA CONDICIO: oportet persuasum habeamus linguas neo-Latinas esse quodammodo extremam germinationem ipsius quercus Latinae; ergo permultis vocabulis, detractis a radicibus Latinis, etsi non adtestatis in operibus Latinis quae supersunt, libere ~~fora~~ adhibitis linguis neo-Latinis, concedendum est plenum ius civitatis in nostro Neolatino. Sint exempla: "desinentiae", "inglobialis", "indirectus", "carceratus" (subs.), "territores", "nubeculatus", "monumentalitas" (I. de Helmrich), "immemorabiliter" (Pascoli), "detoxicare", "intoxicare", "molecula", "exturare" (ex analogo "obturare"), "infinitesimus"...

h  
Evidenter, haec locupletatio Neolatini est relinquenda latinistis qui sciant, propter suum diuturnum commercium cum lingua Latina, percipere sanum saponem Latinitatis verborum quae effinguntur a radicibus Latinis.

TERTIA CONDICIO: libere accipiantur in nostro Neolatino vocabula graeca quae non acceperunt Romani, quae contra linguae hodiernae acceperunt, utique latinizata. Sint exempla: "propaedeutica", "didactica", "analysis", "oedema", "therapia", "melisma", "phonetica", "acribia"...

Pariter, accipiantur sine ulla haesitatione vocabula Latinitatis "christianae" et "cadentis"; haec enim vocabula orta sunt in plena, ut ita dicam, atmosphaera Latina, ergo sit ridiculum ex una parte tribuere nobis ius excudendi neologismos, et ex altera reicere haec vocabula quae possunt considerari neologismi ficti ab ipsis loquentibus Latine.

QUARTA CONDICIO: ne nos refrenet nimius "purismus", qui revera videtur esse incongruus, si comparetur cum libera audacia qua conflamus neologismos. Si quis, e.g., secutus morem linguarum hodiernarum, adhibeat "Latinum",

"Graecum", "Germanicum", "Italicum"... pro "lingua Latina, Graeca, Germanica, Italica". ne vituperetur quia Romani scriptores utique adhibebant in casibus indirectis adiectivum "substantivatum" (e. g. "ex Latino", "in Graecum"), non autem in casu nominativo!

Itidem, si quis exaret hanc propositionem: "Ego nequivi me plene exprimere", ne ei obiciatur auctores Latinos tantummodo adhibere verbum "exprimendi" cum accusativo rei ("exprimere sensus animi" (Plin.), "exprimere sensa" (Cic.)), numquam autem coniungere verbum "exprimendi" cum pronomine; transitus enim a locutione "exprimere mea cogitata" ad alteram "exprimere me ipsum" est spontaneus et rationalis et est praeterea assuetus in linguis neo-Latinis. (X)

His in quaestionibus, numquam est obliviscendum nostrum Neolatinum esse debere non "repetitionem mechanicam", ut dicitur hodie, Latini temporum Romanorum, sed callidam mixturam antiqui et moderni, id est "projectionem" intellectuum vicesimi saeculi qui materiei antiquae imprimant suam formam, sive quoad dispositionem sive quoad significationem verborum.

Praeterea, est maxime animadvertendum ad eam, quam ingeniose P. Mir appellat "semanticam progressionem": existunt complura vocabula Latina quae imbuta sunt significationibus saepe multo amplioribus vel subtilioribus quam habuerunt tempore Romanorum. Sint exempla: "cellula", "socialis", "missile", "cultura", "systema", "plastica", "periodicum"...

Coram verbis huiusmodi, neolatinista debet, hodie, adsumere quandam mentis duplicitatem, prout ea inveniet in operibus antiquis vel in scriptis hodiernis. Quod ceterum fit, diachronice, de quavis lingua. Cum lego haec "tristicha" Dantis:

"O frati, dissi, che per cento milia  
perigli siete giunti all'Occidente,  
a questa tanto picciola vigilia

dei nostri sensi ch'è del rimanente  
non vogliate negar l'esperienza  
diretro al sol, del mondo sanza gente."

ego, retrocedens per saecula, intellego "frati" non "sodales Ordinis religiosi", sed "fratres"; "milia" non "mensuram filiometricam", sed "numerum cardinalem"; "vigilia" non "diem pristinum", sed "vigiliam"; in locutione "ch'è del rimanente", animadverto exemplar (italice dicimus "calco") locutionis Latinae "quae de reliquo est", quae locutio in Italico hodierno nullum sensum praebet; "diretro" et "sanza" percipio aequipollentia hodiernis "dietro" et "senza".

Item neolatinista, legens Classicos, se mergit in illa longinqua saecula, induens, ut ita dicam, morem sentiendi et loquendi antiquorum Romanorum; legens contra et scribens de rebus nostrorum temporum, novam personam adsumet, quae congruat cum more sentiendi et exprimendi saeculi vicesimi. Non enim nos debemus servire linguae Latinae, sed ipsa nobis, ita ut, salvis eius fundamentis grammaticalibus et syntacticis, fiat idonea ad exprimendas omnes "realitates" nostrae aetatis.

Non semel vero audivi sententiam: "sed hoc vestrum Neolatinum nihil aliud est nisi Latinum macaronicum!"

Qui ita loquatur, nescit evidenter quid sit Latinitas macaronica, cuius duae sunt species: ex una parte, Latinitas sequitur p.9

in Latino un est adiectus, tandem intellegat! // x Italianismus: Latine: verbis exprime

## CARMEN FRANCISCI RABELAESI DE GARO.

Multi nostrum fortasse legerunt lucubratiunculam, quam, ante nonnullos annos, Gaius Licoppe in commentariis "Vocis Latinae" (anni 1980 p. 182-183) in publico proposuit, ubi de vera natura gari tractavit. Ibiq̄ue asseverat illud famosum liquamen, quod adhuc in usu frequenti est apud Indosinenses, nomine "nuoc-mam" vestitum, usque ad saeculum XVIum in Gallia etiam in usu remansisse. Citat enim sententiam depromptam e libris quos anno 1554° Rondoletus de Piscibus composuit, qui oculis suis ipsissimis fabricationem gari tunc vidit: "alii antiquorum more in muria sinunt tabescere, ut garum faciant. E qua optimum et suavissimum garum paratum vidi."

Aliud exemplar eiusdem saeculi XVII<sup>i</sup> volui vobis afferre. Est carmen quod Franciscus Rabelaesus (1494-1553) celeberrimus scriptor Francogallus pepigit quo virtutes saporemque canit gari. Hoc epigramma editum est anno 1538° inter alia carmina Stephani Doleti in farragine poetica quae inscribatur "Carminum libri quattuor" (Lugduni, 1538, in 4° p. 75), hoc poematum respondebat ad carmen Doleti quod inscribatur "de garo salsamento".

Sed haec hactenus, ecce, benigne lector, hi versus quos composuit ille perillustris assecla "divae lagoenae" tibi que sapiat in "pantagruelicis" epulis!

### De garo, carmen F. Rabelaesi ad Doletum.

Quod medici quondam tanti fecere priores,

Ignotum nostris en tibi mitto garum;

Vini addes acidi quantum vis, quantum olei vis:

Sunt quibus est oleo plus sapidum butyrum.

Deiectam assiduis libris dum incumbis, orexim

Nulla tibi melius pharmaca restituent.

Nulla et aqualiculi mage detergent pituitam,

Nulla alvum poterunt solvere commodius.

Mirere id potius quantum vis: dulcia (sumpto)

Salsamenta (garo), nulla placere tibi.

Ut ita videre possumus haud inelegans poeta Latinus fuit Rabelaesus ille, si gustavimus eius carmen, restat ut et gustemus tandem illud garum.

Alanus Divutius.

SEPULCRALE HOC ORNAMENTUM  
BEATIS CINERIBUS  
VIRI

NOBILISSIMI SUMME REVERENDI ET DOCTISSIMI  
DNI MAG IOHANNIS ARNAEI  
RECTORIS QUONDAM SCHOLAE HOLENS PER ANNOS XII  
FIDELISSIMI  
DEINDE PASTORIS ECCLESIAE STADENSIS ET PRAEPOSITI TO-  
LARCHIAE STRANDENSIS ANNOS XIV  
DIGNISSIMI  
POSTEAQUE ANTISTITIS DIOECESEOS SCHALHOLT ANN XX  
VIGILANTISSIMI  
MARITI UT AMANTISSIMI ITA DESIDERATISSIMI  
QUI PLACIDISSIME IN DOMINO OBDORMIVIT  
AD DIEM VIII FEBRUARII  
ANNO CHRISTI MDCCXLIII

In Islandia etiam scribitur Latine...

## Quid de LINGUA ISLANDICA scitu dignum sit.

Recentissime, cum iter facerem per Islandiam, nonnullas singularitates linguae Islandicae comperi, quae Latinitatis cultoribus scitu dignae sunt.

Duo mihi fuerunt fontes, et ipsi incolae, quorum nonnullos mihi licuit privatim convenire et libellum "Teach yourself Icelandic" inscriptum atque Anglo-Americane conscriptum de lingua Islandica discenda. Qui libellus perutilis est, cum auctor, P.J.T. GLENDENING, linguam Anglo-Americanam, ubi pleraeq̄ue subtilitates grammaticales amissae sunt, comparat cum lingua Islandica, quae propinqua est linguar̄e Latinar̄e & //e structura grammaticali. Imprimis lectores admonet quanti momenti sit haec lingua in philologia linguarum stirpis Germanicae. Nam linguae Germanicae, quae hodie supersunt, pertinent ad duos ramos, unum occidentalem, alterum septentrionalem, qui dicuntur. Viguit olim tertius ramus, scilicet orientalis vel gothicus, iam diu tamen extinctus.

Differentiae parvae iam exstabant inter ramum occidentalem et septentrionalem ante Christum natum. Definitiva separatio evenit circa annum 800<sup>um</sup> post Christum natum.

Lingua Islandica pertinet ad ramum septentrionalem; est lingua veterum Norvegiensium (Viking), quorum coloni a IX<sup>o</sup> saeculo insulam occupaverunt. Horum colonorum posteri hanc veterem linguam fere immutatam servaverunt ita ut hodierni Islandienses facile intellegent Vikingorum litteras antiquas (Saga et Edda); quas, ex contrario, iam intellegere non possunt neque Norvegiensium neque Sueti neque Dani, quorum linguae hodiernae multum dissident a stirpe communi.

Vetus Norvegiensium lingua invenitur etiam in antiquioribus inscriptionibus runicis, in Scandinavia inventis, quae sunt vetustissima vestigia linguarum stirpis Germanicae.

Ab ineunte IX<sup>o</sup> saeculo usque ad medium XI<sup>um</sup> saeculum, Anglia fuit sub Norvegiensium ditione. Sic evenit ut dialecti Anglo-Saxonicae centena vocabula de lingua Norvegiensium assumerent, quae adhuc agnoscuntur in lingua Anglica.

Americanus auctor notat linguam Anglicam ex stirpe Latina suam partem elegantem, ex stirpe Norvegiensium suam partem humilem et practicam deduxisse.

Ad ipsas singularitates linguae Islandicae hodiernae nunc venimus.

Imprimis nomina et adiectiva declinantur. Complures exstant declinationes, quae constant ex quattuor casibus. Unum afferam exemplum:

Heimu r = mundus

	singularis	pluralis
Nominativus:	HEIMUR	HEIMAR
Accusativus:	HEIM	HEIMA
Dativus:	HEIMI	HEIMAM
Genitivus:	HEIMS	HEIMA

Tria sunt genera, masculinum, femininum et neutrum. Articulus (definitus solum exstat) ponitur post nomen.

Complures sunt coniugationes verborum temporalium. Inter modos invenitur modus coniunctivus, qui in sermone communi adhibetur eadem frequentia ac modus indicativus, id quod mirantur Americani, quibus usus coniunctivi videtur affectatus. In lingua Islandica modo coniunctivo exprimuntur nonnulli

colores cogitationis, v.g. res fictiva, aliquid pendens a quadam condicione, aliquid possibile sed incertum, aliquid dubium ...

In verborum temporalium coniugationibus inveniuntur non tantum forma activa et passiva, sed etiam forma media sicut in lingua Graeca.

Constructio impersonalis verborum temporalium etiam saepe adhibetur; inveniuntur locutiones similes locutionibus Latinis e.g. : "mihi in mentem uenit ...".

In Islandia, nullus homo, nisi mente debilis, inuenitur qui legere nesciat. Islandienses facile et libenter legunt ueteres litteras, Edda et Saga, id quod valet ad sermonem originalem servandum. Multi sunt hodierni scriptores Islandienses, quorum unus, Halldor Kiljan Laxness, Praemium Nobelianum obtinuit et plures sunt in Islandia domus editoriae quam exspectatur pro paruo incolarum numero (circiter 250.000).

Sunt tamen nonnullae differentiae inter veterem litterariam

linguam et sermonem hodiernum. Imprimis in vetere lingua poetica adhibentur multa synonyma hodie inusitata uel absconditae uerborum translationes ; v.g., sicut Latine, pro "mari" inuenitur "altum". Ordo verborum in sententia liberior est in litteris ueteribus quam in sermone hodierno. Nam, sicut in litteris Latinis, auctor certa uocabula extra ordinem regularem ponit emphasis causa.

Post hunc breuem conspectum linguae Islandicae, duplicem conclusionem in mentem Latinitatis Vivae cultoris ueuit : sunt hodie homines qui fere eadem lingua utuntur ac eorum maiores iam ante mille annos; etiam apud hos homines, suam linguam tantopere reuerentes, sermo hodiernus artior et simplicior est quam lingua litteraria tradita, cum statim ab omnibus intellegibilis esse debeat.

G.Licoppe

## DE QUODAM OBLECTAMENTO INEXSPECTATO



Feriarum tempore homines prouiores esse solent ad oblectamenta quam ad res serias. Quare aliquid narrabo de comoedia, Chrysis inscripta, quae hoc anno primum in publico Lutetiae acta est. Fortuito eam in Parisiensium spectaculorum programmata inueneram. Mihi omnino ignota erat, sed auctoris nomen stupens legi : est enim Aeneas Siluius Piccolomini, qui quondam fuit Papa Pius II. Cuius enim litterati viri nonnullis delicatissimis versibus antea delectatus eram, quos in circulo Latino palam legendos attulerat Theodericus Sacré. Curiositate impulsus Parisios cum uxore filiaque adii et nobis licuit die 29° m. Iunii ultimae Chrysis editioni interesse.

Cum sub ingenti turri multizonia Montis Parnassi ad uiam Hilaritatis ambulabamus, nobiscum quaerebamus qualis speciei esset hoc theatrum, "La Comédie Italienne" uocatum, quod non noveramus.

Mirati inuenimus parvam ueterem domum ceteris huius viae similem. Parua ianua patet in scaena, quam spectatores transgrediuntur ad gradus petendos. Vix sunt quiquaginta loca. Iuuenis actor, veste theatra indutus, intrantes ducit et eos hortatur ut ante spectaculum sole fruantur in horto !

In tabula ad parietem suspensa legimus hanc domum ante

paucos annos fuisse sedem custodum publicorum. Via Hilaritatis uidetur merito sic denominata esse; legimus enim non paucos pernotos actores uel pictores uelut Modigliani, Petrus Brasseur et Picasso, hic paulisper retentos esse propter immoderatam hilaritatem !

Hac in domo, Attilius Maggiulli choragus, qui artem theatricam didicit in schola Mediolanensi de "Piccolo teatro" denominata, theatrum "La Comédie Italienne" anno 1974° condidit, ad opera auctorum Italicorum classicorum modernorumue exhibenda, quorum pleraque Francogallis ignota sunt.


Chrysis est undetricesima fabula, quam ibi docuit. Quam comoediam Latine conscripsit anno 1444° Aeneas Siluius Piccolomini, qui quattuordecim annis post factus est Papa Pius II. Cuius textus choragus A. Maggiulli non tantum adaptationem Francogallicam confecit, sed scaenam introductoriam addidit, qua mores singulares Papae Pii II ostenderentur.

Fabula scripta non est ut in publico ageretur, sed tantum coram familiaribus, id quod choragus respicere uoluit. Scaena, quae speciem sacristiae habet, non separatur a spectatoribus, ita ut ipsi videantur esse Papae familiares.

Sumus ergo in sacristia. In ipsa basilica Sancti Petri celebratur magna missa pontificalis, cuius cantus Gregorianos procul percipimus. Subito a tergo apparet Papa et currit inter spectatores ad scamnum, ubi collabatur anhelans ore torto. Quo tamen spectaculo nemo in sacristia uidetur commotus. Papa enim, cum a liturgia abhorreat, in initio caerimoniae solet manum subito in pectore ponere, gemitum proferre et proximos rogare ut eum ad sacristiam ducant. Est quasi ritus. Ibi inter alios eum exspectant Caesar Borgia, puer Papaeque deliciae, atque eius pater, cardinalis Rodericus Borgia, futurus Papa Alexander VI. Qui, dum in basilica agitur caerimonia, secum quaerunt quomodo iucundius tempus terere possint. Tum Papa recordatur comoediam, quam quattuordecim annis ante conscripserat, et praesentes rogat ut una cum eo comoediam agant.

De comoedia ipsa fusius et doctius narrabit Theodericus Sacré in Pagina Litteraria. Mihi satis est dicere actores, uehementer fucatos, suas partes optime egisse, modo Italico. Saepius breues sententias Latine proferebant, horribili tamen pronuntiatu Francogallico...

Gaius LICOPPE



## De Aenea Silvio comoedographo

Cum me Gaius Licoppe, circuli nostri praeses, per litteras certiore fecisset de Aenea Silvii fabula, quae inscribitur Chrysis, a grege quodam Italico compluriens actitata atque Lutetiae in urbe Parisiorum a se nuper spectata, rei novitatem diu sum admiratus, qui Chrysin in scaenam publicam numquam esse delatam mihi persuasissem. Quocirca eundem Gaium invitavi, ut Melissae legentibus actum ipsum faceret notum; ego vero me argumentum fabulae et momentum pollicebar esse adumbraturum. Quod cum illi placuisset, comoediam subsecivis horis revolvebam, cuius levitatem lasciviamque iterum iterumque mirabar; cogitanti inde mihi quae fuissent causae cur histrionum caterva comoediam illam nostra hac aetate suscepisset agendam, luxuries illa, quam dixi, in pontifice maximo admodum mira videbatur afferenda, -tametsi Chrysis amplius decennio ante summum pontificatum incohatum ab Aenea properanter Norimbergae est exarata; fuerunt quidem alii papae Camenae colentes iique validissimi poetae, velut Urbanus VIII<sup>US</sup> (Maphaeus Barberini), Alexander VII<sup>US</sup> (Fabius Chisius) et Leo XIII<sup>US</sup> (Ioachimus Pecci); qui vero Epicuri e grege porcos (sit venia verbo!) tam libidinosos in scaenam induxerint praeter Aeneam video nullum. Ceterum fabula per se parum pollet neque artis dramaticae est miraculum, quod technopaegnion quoddam Plautinum potius dixerim; antiquam siquidem scriptor comoediam reddere vivam ita est conatus, ut et personas et argumenta et locos et dicendi genus, additis quibusdam rebus quae in tempora recentiora caderent, Plautina ad exempla usque limarit. Quodsi Plauto aemulatus est Aeneas Silvius, dilaudandus etiam eo est, quod alter a Petro Paulo Vergerio S<sup>TE</sup> comoediae trimetros iambicos cepit et effinxit.

Tricas enodare personasve singulas referre longum est. Primas autem agunt meretrices (Chrysis, Cassina, Pythias, Antiphila); secundarum actores amantes (Dyophanes et Theobulus clerici; Charinus, Sedulius, Archimenides; his accedunt Artrax coquus, Canthara lena et Lybiphanes, Seduli servus). Medium locum obtinent amationes.

Quantopere autem personae vulgaris cuiusdam et quotidianae Epicuri doctrinae asseclas sese profiteantur, nonnulla probabunt exempla :

- Nobis divitiae sunt, opes, deliciae,  
ad esum nati tantum et ad potum sumus,  
dormire possumus et satis quiescere;  
vivimus nobis, alii vivunt aliis.  
Nulli pulchra est quam nobis gratior Venus;  
non, ut alii, stabilem uxorem ducimus,  
que, si stomacosa sit, habenda est tamen;  
nova in dies connubia, himeneos novos  
celebramus; si placet amor, revertimur;  
ubi displicet, alio flectimus iter. (vv. 6-15 (clerici)) -
- Bene admones : nam potus eque atque coitus  
sapiunt mihi : istec si absint, nolim vivere. (vv. 127-

8, Pythias)

- Ego sapientis verbum mente teneo :  
curas post tergum decet inanes mittere. (vv. 168-9,  
Charinus)

- Proh, Iupiter, quam diversa sunt hominum officia !  
Pars in amplexu meretricum iacet,  
pars eiulando fortunam incusat suam.  
Ego, quod optimum est, ventri consulo meo. (vv. 729-  
31, Artrax)

Evenit autem interdum ut comoedographus ioculare dicendi genus Plauti proprium callide imitetur :

- Non vereor vera loqui : sum multibiba,  
merobiba, non limphibiba aut medobiba,  
neque cervisiam bibo neque siceram :  
Theucris hec largior et Boemis pocula.  
Quasi lagena sum, ubi vinum solet Chium  
condi. Quid opus verbis? Sum vinosissima,  
et fluvium, si vini siet, recipiam (vv. 205-211,  
Canthara)

- Verum, ut tu, Cassina, meam sententiam  
et quid animi geram erga te scias,  
ita me dii deeque superi et inferi  
et medioximi et Iuno regina  
et Iovis supremi Pallas filia,  
ac me Saturnus ipsius patruus  
atque Ops opulentia illius avia  
servassint et amassint diutius,  
ut ego te, pessuma, dum vixero,  
nec tangam posthac unquam nec alloquar,  
quamvis per annos vivam Nestoreos. (vv. 575-84,  
Dyophanes)

Mirum igitur non est si Aeneas Silvius, postquam ad summos summi pontificatus honores evectus est, opusculum illud iuvenile et licentiosius igni tradere statuit; quod ei successisset, nisi unus codex manu scriptus Pragaque nunc adservatus, quo Chrysis continebatur, superstes esset, quem Andreas Boutemy Bruxellis anno 1939° primum edidit.


Extat autem alterum Aeneae Silvii opus iuvenile, quod eodem anno (1444°) est conscriptum, quo Chrysis, fabulam dico Milesiacam c.t. De duobus amantibus. Quae Romanensis historiola, Latinitate, elegantia, subtilitate commendanda, legi, laudibus extolli atque imitationibus exprimi inde a saeculo XV° iure non est desita.

Theodericus Sacré Lovaniensis  
Foundationis scientiis provehendis  
Belgicae adsocius.

## DOMUS ERASMI FELICITER A PERNICIE SERVABITUR.

In populoso frequentatoque suburbio Bruxellensi, cui nomen Anderlecht, ubi olim prata laetissima et latissima viresebant, patet adhuc inter insulas constructas insula pacis. Est amoenus hortus, ubi clangores stridoresque autoraedarum non audiuntur ast solum leves cantus volucrum. In medio hoc viridiario pulchram veteremque domum aspicere possumus. Est museum, vel potius fanum, Erasmo dicatum. Hac in domo remansit olim per breve tempus ille princeps humanistarum, quinque menses, apud eius amicum R.D. Petrum Vichmanium, canonicum capituli Anderlechtensis, a fine mensis Maii usque ad diem 28<sup>um</sup> mensis Octobris anni 1521, atque ex hac domo dedit viginti duas epistolas eamque ad usque nobilitavit. Sed tamen talis viri adventum, mansionem praesentiamque ad longum et perpetuum tempus colere et celebrare senatus populusque Anderlechtensis decreverunt volentes hac in domo museum Erasmianum condere.

Mens agitat molem : et sic mens Erasmi hanc domum iam prima vice a pernicie servavit anno 1931. Cum omnes paene volebant tunc temporis hanc domum destruere, fortasse ad caeliscalpia inhumana construenda, municipium Anderlechtense



emit hunc fundum restauravitque. Auctor eius resurrectionis salvationis-que fuit historicus Daniel Van Damme (1893-1967) qui omnibus viribus suis hoc opus mirandum exanclavit. Ei sint perpetuae gratiae agendae. Incipitque tabulas pictas, libros, res mobiles colligere museo inferendos.


Eius successor Dominus Ioannes Petrus Vanden Branden, vir perhumanus, nunc opus incoepatum eadem anima eodem studio pergit. Qui die dominico 23<sup>o</sup> mensis Februarii anni 1986, cum museum Erasmi una cum Inga Pessarra visitaveram, nos humanissime affabiliterque recepit. Nosque certiores fecit de fato hodierno domus Erasmianae. Mox enim domus claudetur per multos menses, omniaque documenta et collectae res in alium locum reponendae erunt, quia haec domus mirabiliter usque ad tempora nostra integra adducta, paene nunc in ruinas cadit. Et hoc diversis de causis, in quibus, humiditas soli, quae lente a lateribus hauritur qui deinde propter gelu vel intemperies vel acidas pluvias paulatim franguntur fragmentaque laterum in terram cadunt.

Ut videmus res ita se habent ut si domus Erasmi ingens esset spongia humore referta. Et denuo miraculum evenit, denuo mens Erasmi has veteres lapides salvavit. Quidam Maecenas modernus, societas quaedam petrolearia, ad restaurandas aedes Erasmianas satis magnam pecuniae summam dono dedit. Eis etiam grates innumeras agamus et persolvamus laeto corde. Non destruetur domus Erasmi, sed ut Phoenix (quamvis non ex igne sed ex aqua) pulchrior renascetur.

Multi homines hodierni, siccitatem atque duritatem mentis atque barbariem reprobant vituperantque magnarum societatum commercialium quae multinationales nuncupantur, sicuti hanc societatem quae velit fabricam ingentem arenati producendi prope Delphas erigere.

Hac de causa multo plus laudemus et admiremur munificum illud facinus pro domo Erasmi factum : non solum enim domum materialiter Erasmi sic servabitur sed et eius mirabilem mentem quae nos semper meliores reddere queat atque humaniores.

Alanus Divutius Bruxellensis.





## DE PRIMO DIE NATALI CIRCULI LUPIANI FELICITER CELEBRATO.

Causa conveniendi vere digna fuit : celebrandus nobis erat dies natalis primus eius circuli vivi sermonis Latini, qui nomen cepit una ex parte a Lupia flumine (Lupia = Lippe), quod Verinam (Werne) transcurrit, altera ex parte a loco, ubi circulus Lupianus conditus est, quod ibi ultimum Vestphaliae lupum necatum esse monumentum monet. Ille lupus nimirum praecelaram lupam Romanam, quae Romulum et Remum nutriverat, in memoriam vocat. Inde insigne circuli : caput lupianum.

Conditores huius coetus sunt Iohannes Rother, Verinensis magister destillationis, et Inga Pessara-Grimm, magistra linguae Latinae scholae Camensis universalis, et Marius Alexa, magister linguae Latinae gymnasii Verinensis. Qui seminariis Latinitatis Vivae, quae Pater Caelestis instituerat, permoti vivum sermonem Latinum etiam in patria sua colendum esse censuerunt. Semel in mense in caupona quadam Verinensi congregamur. Eo veniunt non modo magistri linguae Latinae, sed etiam alii amantes linguae Latinae. Imprimis medici Latinitati favere videntur. Non certa themata proponuntur, verum variis de rebus loqui solemus, quae nobis cordi sunt, et, ne Latinitas res severior sit, iocamur canimusque.

Die Saturni primi hospites iam hora quarta post meridiem convenerunt, ut a Mario Alexa, viro peritissimo, per oppidum Verinam ducerentur.

Vesperis cauponam "Ad ultimum lupum" petivimus. Non modo ii soli venerant, qui sessiunculis mensualibus interesse solent, sed etiam alii, qui libenter Latine loquuntur, inter quos imprimis nominandus est Hasso Geissler, iuris consultus Coesfeldiensis, qui cum uxore filiisque duabus festivitatem praetermittere noluit.

Facti sunt ludi Latini; initio, ut decuit, erat "lupus in fabula", i.e. discipuli Mari modo scaenico recitaverunt Phaedri fabulam de lupo et agno. Deinde spectavimus in pellicula "tragicomoediam" Thesei et Minotauri, quam discipuli in oppido, quod Wiedenbrück appellatur, in scaenam producerant.

Multum narravimus, multum cantavimus. In fine conventus, cum gratias ageremus Mario, Alphonsus Weische, professor Monasteriensis, exclamavit : "Fuit Athenis Demosthenes, Romae Cicero; Verinae autem Marius noster !"

Die solis missam solemnem plane Latine habitam celebravimus in ecclesia Capucinatorum. Miro modo cantu Gregoriano delectati sumus. Missa nondum finita e Belgio advenit Gaius Licoppe Bruxellensis una cum Diana filia. Eos comitati erant Francisca Deraedt, magistra linguae Latinae et collega Dianae, et Alanus Van Dievoet. Etiam homilia erat Latina, id quod numquam in illa ecclesia quamvis antiqua factum esse putamus. Hanc homiliam habuit Marius Alexa. Apparuit in verbis eius vera pietas cum elegantia sermonis in maiorem Dei gloriam coniuncta.

Aderant et amici ex aliis partibus Germaniae. Ante portam ecclesiae Latinitatem colentes alius cum alio loquebantur; cum almus sol ex nitido curru radios emitteret, lucebat laetitia omnium in oculis et ore.

Tum colloquiis iucundissimis prandium sumpsimus. Viribus reffectis in vicum Oberaden profecti sumus. Ibi initio huius saeculi parochus quidam testas, quas agricolae in agris colendis invenerant, Romanas esse recte iudicavit. Cum olim audivisset castra Romana "Aliso" appellata prope flumen



Lupiam fuisse, ei persuasum erat se eo loco, qui Theodisce "Burg" dicebatur, castra Romana invenisse. Excavationibus, ea castra Romana maxima notissimaque fuisse demonstratum est. Cum vallum et aedificia e ligno et limo facta essent, multas aut magnificas reliquias Romanorum ibi videre non possumus, sed haec castra maximi momenti sunt in historia aliorum castrorum et oppidorum conscribenda, quod certo scimus, quo anno haec castra constructa et deleta sint.

Post perspectionem excavationum in museo propinquo quasdam res Romanas inspeximus, quas Ericus Steinhauer, puer quattuordecim annorum, nobis doctissime et elegantissime explicavit.

Gaudio repleti discessimus.

Mechthildis LEMKE.

### SECUNDA LINGUA COMMUNIS EUROPAE.

macaronica "litteraria", qualis est e.g. Latinitas doctissimi Theophili Folengo, qui, in suo iocoso poemate, cui titulus Baldus, dum exarat hexametros stricte obtemperantes praeceptis prosodiae, conficit amoenissimam et ingeniosam mixturam vocabulorum classicorum cum vocabulis depromptis vel ab Italico vel a dialectis, lepide subactis flexionibus Latinis. Sint exempla :

"Quo fugis ? Unde venis ? Quis te facit ire galoppum ?

Exspectant pivae quis danzam chiamet un'altram

O macaron, macaron, quae te mattezza piavit ?"

Ex altera parte, exstat Latinum macaronicum popolare, vulgare :

"Cur, quare, quia, fecerunt la rovina mia;

Cur, quia, quare, fecerunt me arare."

At Neolatinum, Latinum quod vocamus colloquiale, est longe alia res : etenim attente obtemperat legibus grammaticae et syntaxis Latinae et adhibet legitimum lexicon Latinum (auctum opportunis neologismis, qui fingantur secundum rectas normas derivationis); sequitur autem ordinem spontaneum cogitatorum, ut fit in linguis neo-Latinis (et generatim in linguis hodiernis), posthabitis inversionibus et subtilibus elegantissimae structurae Latini litterarii. Qui ergo ponat aequationem : Neolatinum = Latinum macaronicum, est (dicamus iocose) reus "laesae glottologiae".

Vido ANGELINO

## DE LATINITATIS VIVAE MOTIONIS ORTU

*enim opera semper alta voce legebantur. Quare moneo ut nonnulli textus ab optimis recitatoribus perfecte dicti magnetophono recipiantur." In fine dixit "Nos omnes debemus nostras nationales pronuntiationis consuetudines repudiare; qua iactura accepta, in maiorem unitatem supranationalem perveniamus."*

III. De verbis novandis relator, Professor Guerinus PACITTI, Provisor lycaei classici Spediensis et Rector Officii Latini in instituto Romano, cui nomen "Istituto di Studi Romani", Latine tractat "Utrum liceat necne, quibus modis sint verba novanda ad novas res significandas". Longe lateque explicat, multis exemplis allatis, omni tempore, iam antiquissimis temporibus, linguam Latinam novis vocabulis locupletatam esse.

Deinde monstrat quid de novandis verbis sentiant Latini scriptores hodierni, "quorum defendunt alii incorruptum servandum esse Latinum sermonem, alii vero locum esse non modo novis verbis, sed etiam novis verborum complexionibus".

In fine relationis has regulas proponit observandas:

Rem iam illuc pervenisse putamus ut quibus legibus sint novanda et fingenda verba, quibus e similibus mutuanda, quibus ex aliis sermonibus denique sint sumenda statuamus; tempus iam venit ut disputando (licet sint istae disputationes plenae concertationum) omnium consensu consilium ineamus, quo sperare liceat fore ut commune commercium audiendi loquendi tandem coalescat.

I. quandoquidem latinitas perraro negat se quærentibus adfuturam esse; dummodo impigre, dummodo sapienter thesaurum insoiciant, omne studium conlocandum esse in novis rebus significandis — quantum fieri potest — verbis iam usitatis;

II. necessitate tantum adductis nobis nova verba excudenda esse, eaque de latino, vel saltem de græco sermone haurienda, dummodo cum in derivandis, tum in sumendis leges servemus, quas veteres secuti sunt, analogiæ præsertim;

III. polynomium seu verbum sæpius græcis, rarius latinis vocibus concretum, maxime aptum habendum esse ad nova inventa interpretanda, dummodo leges observentur quas veteres in componendis verbis sunt secuti. Parcius tamen hybridas, quæ dicuntur, adhibendas esse voces;

IV. verba per onomatopœiam interdum novanda esse, qua quidem cum veteres, tum cuiusvis ætatis scriptores locupletiores sermones fecerunt;

V. e veteribus multa per analogiam significationis propriæ vel translatae detorqueri posse ad novas res significandas;

VI. multum verba ad rem posse conferre quibus subvenit olim latinus *romanis* sermonibus qui vocantur;

## PREMIER CONGRÈS INTERNATIONAL POUR LE LATIN VIVANT

AVIGNON

3-6 SEPTEMBRE 1956

ÉDOUARD AUBANEL ÉDITEUR AVIGNON

VII. in commentationes, quibus scientiæ per-  
vestigationes sint pervulgandæ præsertim de  
mathematica disciplina, verba induci posse a  
scriptoribus usitata vel post sæculum undeci-  
mum p. Ch. n. (quod quidem diligentissime  
commendatum voluisse Institutum Romanis  
Studiis provchendis ex actis V Conventus  
Romæ habiti accepimus);

VIII. ne sesquipedales circuitiones verborum  
impedimento sint, quominus res novæ perspi-  
cue significantur, in libros, in commentatio-  
nes condendas, quibus sint doctrinæ indagatio-  
nes pervulgandæ, verba recipi posse, quæ in  
sermones recentiores usque inducantur, in  
*-ismum*, in *-istam* cadentia;

IX. verba adventicia et peregrina civitate  
donanda esse, dummodo ea ad linguæ latinæ  
normam ac rationem accommodentur leges-  
que serventur, quas secuti sunt veteres in  
recipiendis peregrinis verbis;

X. omnia verba, e quovis fonte deducta,  
flexione latina ornanda esse. Quod si tamen  
longius a latinitate abhorreant quam ut latina  
induantur veste, aliquam iis locutionem esse  
præponendam, qua pateat omnibus nullo modo  
istiusmodi verba in latinitatem recipi potuisse.

\*  
\*\*

Sequetur in proximo numero.

SEDES STUDIORUM NEOLATINORUM  
UNIVERSITATIS STUDIORUM SARAVIENSIS  
invitat Latine doctos ad



SANCTE SIMVI NOBIS CORBINIANE FAVE

LVDI LATINI MCMLXXXVI



# SYMPOSIUM

participandum, quod erit de incremento linguae Latinae  
post tempora humanismi facto.

Quod symposium fiet  
die Veneris, 28. m. Augusti 1987, et insequenti die Saturni,  
29.8.87,  
in oeco quodam Universitatis studiorum Saraviensis.

Singuli universi, quorum hoc rerum et quaestionum interest,  
enixe rogantur, ut hoc biduum sibi reservent liberum.  
Invitationes separatae cum programme definitivo  
ineunte anno 1987° exhibebuntur.

Quoad quaestiones et interrogationes:  
numerus telephonicus  
(49)-(0681) 302-3392  
(Dr. Caelestis EICHENSEER)  
Inscriptio cursualis: Societas Latina  
Universität- FR 6.3  
D - 6600 Saarbrücken 11

A die 23 ad diem 26 m. Oct. Frisingae in urbe vetustissima et  
Latinissima, cui hodie Freising nomen est.

Pernotatio dabitur et in multis deversoriis publicis et in  
aediibus Kardinal-Döpfner-Haus (quae sunt in monte ecclesiae  
cathedralis, i.e. Am Domberg), ubi diebus 24 et 25 m. Oct. non  
ientare solum, sed nobis usque prandere et cenare licebit. Ibi qui  
deverti voluerit, indicet id nobis, item nobis usque ad d. 10 m.  
Sept. centum viginti sex marcas (126,- DM) transcribat. qui  
aliis in deversoriis dormire cupient, ipsis scribant cauponibus  
eisque dicant se LUDORUM LATINORUM sodales esse.  
Praeterea omnibus sodalibus solvendae erunt quadragenae  
marcae (40.- DM) exceptis scholaribus i.e. discipulis  
universitatum et gymnasiorum, qui vicenas quinas marcas (25.-  
DM) pendent. Hanc summam vos rogamus ut iam tunc  
mittatis, cum indicabitis nobis per litteras vos LUDIS  
LATINIS interfuturos esse. Transcribenda est autem omnis  
pecunia huc :

Nr. 1720280015 Hypo-Bank München (BLZ 700 200 01) :  
Sodalitas LUDIS LATINIS faciendis e. V.  
Epistulas autem vel schedas, quibus nomina profitemini, mittite  
huc :  
Jürgen Leonhardt,  
Geschwister-Scholl-Platz 1,  
D-8000 München 22.

## JOSEPHI TUSLANI NEO - EBORACENSIS NOVA INEDITA CARMINA

### SEDILIA SILENTIA

Quam dulce est senibus solis gaudere tepore,  
nil quibus est maius lumine, nil melius!  
Vitam qui norunt, vita ignoscuntur amara,  
at dulce est illis solis amore frui.  
Nixi menta suis baculis, sine vi, sine verbo  
coram se spectant fulgura viva viae.  
Fulgura ceu currunt raedae raedaeque recurrunt,  
amissi mundi visio vana oculis.  
Dicere difficile est mentes quid turbet eorum,  
quid cordi sit eis: solis amor satis est.  
Nil, nihil omnino curant nihiloque moventur...  
sed nunc subrident... nunc nova lux radiat...  
Haud procul it iuvenis mater: parvus puer illam  
gressibus imperii firmiter insequitur.  
Omnes ecce senes puerum illum agnoscere possunt:  
res quantas dulces praeteritas memorant!

### GLORIA SUPERSTES


Spirat undique odor rosae,  
nulla sed rosa cernitur:  
sic poema meum tibi  
gratiam ferat acrem.

Futile est tibi noscere  
cur et unde odor effluat,  
cur et unde amor imperet:  
quaerere est dubitare.

Forsitan rosa mortua est  
sed sua ultima caritas  
verna munera prorogat  
suaviter super arva.

# Amatores cantilenarum Latinarum, gaudete!

## Modo in lucem edita est:



Promenons-nous dans les bois Canticum Francogallicum  
(puerile)

Te si-vas e-a-mus dum-procul abest lu-pus: Si is-te ad-est  
 Set nos gu-los(e) es- set, Cum la-mus iste ab-est non non  
 Ve-ra-bit? O lu-pe au-di-ne? quid a-gis?

Per silvas camus


Per silvas camus  
 Dum procul abest lupus:  
 Si ist(e) adesset,  
 Nos gulos(c) esset;  
 Cum tamen ist(e) abest,  
 Nos non vorabit!  
 O Lupo,  
 Audisne?  
 Quid agis?

[Responsa Lupi singula:]

Vestem dormitoriam exuo!  
 Tibialia induo!  
 Camisiam induo!  
 Memoralia induo!  
 Eracās induo!  
 Cōtibium induo!  
 Collāre induo!

Translatio GENOVEFAE IMÉ.

quam petere potestis a Domo editoria "Societas Latina" inscripta,  
 Universität - FR 6.3 D - 6600 Saarbrücken 11



**RUDENTIS** operis cinematographici omne genus videocasetarum peti potest. Literae interrogatoriae mittantur ad sedem Melissae, cum pretium valde differat pro genere. Videocaseta generis communis, id est V.H.S. Pal, cum libello textuali, constat 5.000 Fr. B., quibus accedunt expensae cursuales. Videocasetae ceterorum generum maioris pretii constant.

**LINGUAM LATINAM** ♥ Hoc adhaerenti pittacio palam significare poteris te Latinitati Vivae favere.

Tres veneunt 100 FR.B. inclusis sumptibus cursualibus.

**MELISSAE EMISSIONES LATINAE**

Prima phonocaseta unius horae perfecta est.

Si quis nunquam Latine loqui audiverit, auscultet complures locutores ex diversis regionibus oriundos. Materia est varia. Praecipue tractatur de primis emissionibus radiophonicis Latinis et de Ludis Latinis Augustanis.

Pars etiam dedita est textibus classicis.

Pretium phonocasetae est 250 F. B., inclusis sumptibus cursualibus.



Hoc novo, practico et pulchro graphiario discipuli significare poterunt se linguam Latinam discere

Pretium graphiarii est 250 Fr.B., inclusis sumptibus cursualibus.

**LUSTRATIO LITORIS BELGICI :**

Quo opusculo, quod conscripsit Gaius LICOPPE et diligenter emendavit Dr P. Caelestis Eichenseer, adumbrantur geographia et historia litoris Belgici.

Pretium est 120 Fr. B. inclusis sumptibus cursualibus.

PECUNIA MITTENDA EST ad hunc computum mandatorum cursualium :

"AMICI MELISSAE"

Bruxellis CCP : 000-1484533-45

Licet etiam EUROPAEAM ASSIGNATIONEM ARGENTARIAM (Eurochèque) mittere, ubi pretium solvendum francis Belgicis indicari debet et ubi numerus chartae argentariae eius, qui pecuniam mittit, etiam inscribi debet.

Ceteros solvendi modos accipere non possumus, quia tanta pars pecuniae accipiendae retinetur pro sumptibus argentariis, ut plerumque vix quicquam supersit.